Ad tractatum Matthæi Zampini I.C. Recanatenſis,

De ſucceſſione prærogatiuæ primi Principis Franciæ,

Ornatiſs. viri P.C.A.F. Ciuis Pariſienſis, & Regij Conſiliarij,

RESPONSIO.



M. D. LXXXVIII.

ZAMPINI AMICO S.

LEGI, vir candide, sed raptim & indignabundè, legi disceptatiunculam de successione prærogatiuæ primi Principis Franciæ, ex tractatu Zampini Iurisconsulti Recanatensis pro successione regni, à te editam: Raptim, inquam: nam subreptum scriptum, & fortasse nondum perpolitum, non nisi raptim legendum videbatur. Indignationis verò causas tibi, si te, si me nosti, non ignotas libens prætereo. Equidem, cùm in regno peregrinis artibus euerso, peregrino cuiuis Regijs legibus illudere liceat, optassem saltem facti infamiam aliqua orationis dignitate compensari. In hoc verò scripto (vrbanatim nescio, rusticatim dico quod sentio) facinoris insolentiam, an tractationis frigiditatem potius mirer vix statuo. θέσιν sanè homine peregrino dignam non nego, quam Francus nemo vnquam attigisset, de qua Francus nemo vnquam cogitasset: Sed augustissimam quæstionem de successione regni Francici tam dilutè, tam frigidè, ceu leuem quæstiunculam apud oscitantes auditores in Bouc Patauino, ventilari iure merito conqueror, vel Zampino iudice, qui hanc sibi subripi voluit. Qui sacratissimas leges, qui validissima potentissimi regni fundamenta conuellere instituit, non vulgari eruditione instructus manum

tanto operi admouere debuit. Quid verò, inquis, Zampinum Iurisconsultum Recanatensem innumeris allegationibus & glossematis scatētem, non agnoscis? Dicam ingenuè, vir bone, Iurisconsulti memoriā agnosco, iudicium & prudentiam, quæ in Iurisconsulto præcipua esse debet, desidero. Scio equidem in scholis vestris passim ceu Bartolum alterum digito monstrari qui solem meridie lucere centum allegatis doctoribus probauerit. Nos verò, purioris Philosophiæ fontibus assueti, rationum pondere, non auctoritatum numero, I. C. æstimamus. Nam si I. C. omnis ab allegationibus & auctoritatibus auctoritas, quo tandem loco erunt Scæuola, Papinianus, & reliqui iuris nostri antistites, in quorum scriptis plures pæne rationes, quàm verba, allegationes aut nullas, aut rarissimas reperies? Vt igitur ipse per te nosses quantum Zampiniana dissertatio à Romana & vera disserendi methodo abesset, visum est breuem illius ἀνάλυσιν tibi mittere, in qua detractis ornamētis & pigmentis omnibus, corpus nudum inspicias: quod tam ardenter tot procis fuisse cupitum præfaris, vt patre inconsulto, & immatura ætate, publico ardori prostituendum censueris. Poscebat fortasse res grauissima examen longè seuerius, sed ne fræna laxarem ingenio meo in hoc campo vetuit sacrosancta legum patriarum maiestas, quæ sua antiquitate & inconcusso populorum consensu, & naturali Francorum omnium deuotione satis tuta nullius patrocinio indiget: Vetuit etiam argumentorum Zampinianorum debilitas, quæ ad speciem magis quàm ad vulnus esse comparata facilè perspicies, si τρίτης παιδείας leges vel

vel primis labris attigeris. Nefas autem aduersus lusoria decretorijs agere. Itaque gladium non stringo: legem regiam inuiolatam, intemeratam, fortißimis Francorum lacertis satis munitam, à Recanatensibus consultationibus nihil metuentem, defendere non aggredior: sed duntaxat elenchos Zampinianos, probationi rectæ rationis subijcio, vt si quid eiusmodi Zampinus in lucem mittere cogitet, magistrum prius consulat, qui θέσιν ritè & peritè φυλάττειν doceat. Tu verò, cùm Recanatum reuises, narrabis etiam Vltramontanos semibarbaros discernere quid distent æra lupinis. Vale.

DEMONSTRATIO ZAMPINIANA.

Quicunque proximior eſt tempore mortis, illius, de cuius ſucceßione agitur, illi ſoli lex regia defert ſucceßionẽ prærogatiuæ primi principis Frãciæ.

Atqui illuſtrißimus Cardinalis Borbonius tempore mortis ſerenißimi Ducis Andegauenſis, de cuius ſucceßione agitur, erat proximus.

Ergo illuſtriß. Cardinali Borbonio ſoli lex Regia defert ſucceßionem prærogatiuæ primi principis Franciæ.

ΑΝΑΛΥΣΙΣ.

SI ZAMPINVS demonſtrationem noſſet, vel nomine tenus, ſciret demonſtrationis ſubiectum eſſe εἶδος aliquod vniuerſale, adeóque æternum, de quo demonſtrantur attributa propria per medium neceſſarium cum ſubiecto & attributo reciproquum, ex præſcripto legũ καθ' αὐτὸ & καθ' ὅλου, vt docet Ariſtoteles in primo poſteriorum Analyticorum. De ſubiecto verò ſingulari morti & mutationibus omnibus phyſicis obnoxio, quæ veritatis æternitatem impediunt, nullas tractationes apodicticas inſtitui. Sciret ſyllogiſmum propoſitum non poſſe circumagi διὰ κύκλου (quod eſt tractat

ctationum analyticarum, ac præcipuè demonstrationum κριτήριον certiſſimum; cùm nulla ſit inter propoſitos terminos neceſſitudo, nulla æqualitas? Sciret denique indiuiduorum non eſſe ſcientiam. Sed liceat I. C. ſeuerioris Philoſophiæ arcana ignoraſſe. Liceat Zampino verbum demonſtrandi παχυμερέςερον vulgari & lata quadam ſignificatione vſurpaſſe. Age igitur, lenito examinis rigore, æquiori iure cum Zampino agamus. Neque enim æquum eſt, vel ipſo Ariſtotele teſte, in omnibus eandem neceſſitatem exigere: Satis ſit Zampino nõ falli, nõ fallere in homonymijs, ἀμφιβολίαις, & eiuſmodi Sophiſtarum artibus, quibus videri volunt ἐλέγχειν & conuincere, cùm tamen non conuincant.

TV VERÒ, Zampine, quandoquidem tantam θέσιν φυλάττειν aggreſſus es, ne ſine parte vincas, & ἄπονον χάρμα conſequaris, ne graueris mecum in hac arena iuſtis & paribus armis te exercere, & examini Ariſtotelico, id eſt, certiſſimo, & apud omnes doctos probatiſſimo, tuas probationes ſubiicere. Nec te terreat in cauſa Regia nomẽ Regij Cõſiliarij, iniuria tumultuũ tuis artibus renouatorum, &, ni Deus auertat, in immutabilem ἕξιν perductorum, omni dignitate nudatũ. Tibi, Zampine, Senator eſſe nolo, nec Iudex: vix enim homini Recanatẽſi legẽ Regiam Francicam vel tantillum attingenti æquus eſſem. Sed nec pugnare aggredior vt vincaris, Zampine, vel vt vincam: eſſet enim ſophi-

ſticus iſte vincendi ſcopus. Sed pugno vt vincat Francica veritas, illámque, ſi fieri poſſit, oculis tuis Recanatenſibus inſpicias, inſpectã agnoſcas. Hoc vnum bona fide, bonis artibus ſatago.

PRIMVM igitur, Zampine, ſcientiam tuam probo & laudo, qua agnouiſti in ſucceſſione Regia legem Regiam inſpiciendã eſſe: legis verò Regiæ interpretationem ex perpetuę cõſuetudinis declaratione quærendam. Hæc enim ſcientia eſt vera, antiquiſſimorum Iuriſconſultorum & hiſtoricorum monimentis firmata, quibus apparet regni ſucceſſionem lege regni ſemper delatam fuiſſe, & legem regiam Francicam nihil aliud eſſe quàm conſuetudinem ab omni æuo tacito Frãcorum cõſenſu receptam, & longiſſima annorum ſerie ſtabilitam. Verùm præclaram hanc ſcientiam duplici ignoratione corrupiſti, tum quòd legem Allodialem putas eſſe legem Regiam, tum quòd Vlpianum vis eſſe legis Regiæ interpretẽ. De his igitur breuiter &, abſque omni fuco rhetorico, agamus, vt ignoratione omni & falſitate explorata niteat purus & omnium oculis gratiſſimus veritatis ſplendor.

LEGEM Allodialem à te allatam non eſſe legem regiam, non allegationibus ad oſtentationem conſarcinatis, non auctoritate clariſſimorum Francicorum Iuriſcõſultorum Nicolai Boërij Præſidis Burdegalenſis, & Ioannis de Terra Rubea aduocati regij, à quibus Zampinus

nus Recanatẽſis iura Francica, nõ autem à Paulo Æmilio Veronenſi diſcere debuit, ſed certiſſima ratione ex Philoſophiæ ſinu petita demonſtrare eſt facillimum. Itaque, vt tecũ, Zampine, in diiudicatione veri & falſi quantum percipio ſatis imperito, agam familiariùs, eſto ſyllogiſmus eiuſmodi:

Lex Regia eſt lex ſucceſsionis in regno Franciæ.
Lex à Zampino recitata non eſt lex ſucceſsionis in regno Franciæ.
Ergo lex à Zampino recitata non eſt lex Regia.

PROPOSITIO maior huius ſyllogiſmi cõtinet axioma nulli enſtaſi obnoxium: quippe nihil aliud eſt lex Regia, de qua agimus, quàm lex ſucceſſionis in regno Franciæ, adeóque ſubiectum & attributum huius propoſitionis idem ſunt, cùm definitio & definitum idem ſint. Minor verò per ſe clara eſt, nihil enim in tota illa lege à te recitata de ſucceſſione regni Franciæ. Quinimò nihil eſt in tota illa lege quod ad ſucceſſionem regni Franciæ poſſit accommodari. Terræ Allodialis hereditas, & regni hereditas, ſcis ipſe quantum differant. Terræ Allodialis hereditas, eſt fundorum patrimonialium hereditas. Regnum verò terræ nomine non ſignificari, ſi tibi probari cupis Zampine, candelam meridie accendi cupis. Regnum enim eſt forma quędã πολιτείας, ſeu publicæ adminiſtrationis, terra verò, etſi ſuſtineat regnicolas, tamen non eſt regnum, ſicut fundus patrimonialis alicuius familiæ non

Lex à Zampino ex tit. de Allod. recitata, non eſt lex Regia.

eſt ipſa familia. Regnũ Franciæ nullis terrarum finibus circunſcribitur, ſed vbicũque locorum ſacroſancta maieſtas Francica imperat, & iura populis dicit, ibi eſt regnum Franciæ. Terra verò Allodialis eſt ſpecies certa patrimonij priuati, toto genere à regno differens. Adeò vt ne ad eandem quidem Categoriam Regnum & terra poſſint referri: tantum abeſt vt quod de terra dicitur, de regno dictum videri debeat, ita vt terræ hereditas pro regni hereditate ſit accipienda. Denique, mi Zampine, in lege regia regni fieri mentionem omnino neceſſe eſt, ſicut in lege hereditaria hereditatis, in lege fideicommiſſaria fideicommiſſi, &c. Leges enim nomẽ ſumũt ex rebus quibus imponuntur. Falleris igitur παρὰ τὸ ἑπόμενον, cùm legem quamlibet hereditariam, putas eſſe legem hereditatis regni: Ita enim ratiocinaris:

à conſequenti,

Lex regia eſt lex hereditaria.
Lex quæ adfertur ex titulo de allode, eſt lex hereditaria. Ergo
Lex quæ adfertur ex titulo de allode eſt lex regia.

COEGIT me tua ἀπαιδευσία errorem hunc pluribus declarare, quem apud peritos vnico verbo notaſſe ſatis erat. Vides igitur, Zampine, argumentum tuum eſſe ἀσυλλόγιστον, id eſt, non eſſe argumentum, cùm concluſio affirmans in ſecũda figura ſit vitioſa: perinde enim colligis, ac ſi ex eo quòd mellis conſequens eſt flauus color, fel, quod etiam eſt flauum, pro melle acciperes. Cæterùm, ne te homonymia

vocis

vocis huius, *hereditas*, decipiat, ſciendum tibi eſt, hereditatem eſſe τῶν πολλαχῶς λεγομένων, vt ex ipſa hereditatis definitione ſatis cõſtat. Nam cùm hereditas ſit ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit tempore mortis, neceſſe eſt hereditatum tot eſſe ſpecies, quot ſunt ſucceſſionum in vniuerſum ius defuncti. Succeſſionum autem in vniuerſum ius defuncti, alias eſſe patrimoniales & ex iudicio defuncti deferri, alias ex remotione alterius: Rurſus ſucceſſionum ex remotione alterius, alias eſſe electiuas, alias iure ſanguinis per legem ſeu conſuetudinem deferri, ne Dupondij quidẽ ignorant. Et cùm hereditas tot modis dicatur, certè ius hereditarium non vno modo dici clarum eſt, cùm quot ſunt hereditatum genera, tot diuerſa iura hereditaria eſſe neceſſe ſit. Aliud igitur eſt ius hereditarium patrimoniale, aliud ius hereditarium electiuum, aliud ius hereditarium regale. His diſtinctionibus per ſecundum inſtrumentum Dialecticæ inuentionis, quòd eſt τὸ ποσαχῶς ἕκαστον λέγεται, δύνασθαι διελεῖν, repertis, duo ſum conſequutus, vnum ne legem allodialẽ pró lege Regia Franciæ Francis obtruderes, alterum vt diſceptationis tuæ vanitas omnium oculis pateat, cùm in ſequentibus ita diſſeris, vt appareat te exiſtimare ſucceſſionẽ in prærogatiua primi Principis Franciæ iure illo hereditario eſſe cenſendam, quo ſucceſſiones patrimoniales cenſentur. Quamuis enim libens fatear in quæſtione propoſita

Hereditas dicitur pluribus modis.

Ius hereditarium pluribus modis dicitur.

Quot modis vnumquodq; dicatur poſſe diſtinguere.

inſpiciendum eſſe tempus mortis sereniſſimi ducis Andegauenſis (quia omnis ſucceſſio aut mortem, aut remotionem illius cui ſucceditur, præſupponit: neque in re tam clara erudita illa tua inductione opus fuit de ſucceſſione ſuorum, agnatorum, cognatorum, &c.) falleris tamen, Zampine, cùm prærogatiuã primi Principis Franciæ vocas ſucceſſionem ſereniſſimi Ducis And. non enim eſt ſucceſſio, ſed quaſi ſucceſſio duntaxat, vt doctiſſimè ſcripſit ante centum quinquaginta annos Clariſs. I. C. non Recanatẽſis, ſed Francus, Ioãnes de Terra Rubea: Succeſſio enim ducis And. propriè fuit ea quam d. Dux pro arbitrio dare vel adimere potuit: quod verò auferre & conferre non potuit, propriè non eſt ſucceſſio, ſed duntaxat quaſi ſucceſſio iure ſanguinis per legẽ Regiam delata. Has diſtinctiones idcirco præmittere viſum eſt, ne ſingulas tuæ orationis partes retexendo tædium peritis adferam ad λύσιν propoſiti ſyllogiſmi feſtinantibus.

Verùm, quid ſermonẽ tecum inſtituam, non modò iuris, ſed etiam nominum & titulorum Francorum imperitiſſimo? Peregrinitatẽ enim tuã, Zampine, ſtatim in ipſa ἐπιγραφῇ tuæ diſceptationis dilucidè prodis, cùm fingis prærogatiuam primi Principis fuiſſe in ſereniſs. Duce And. quæ nunquam in eo fuit aut eſſe potuit, cùm longè maius & auguſtius quiddã eſſet in eo. Erat enim & proſcribebatur tum apud Francos, tum apud exteros omnes, *Regis filius & frater*

frater Vnicus. Cuiuſmodi appellatio eorum eſt qui ex eadem ſtirpe ſunt cum rege. Primus verò Princeps in Francia dicitur, qui non eſt ex eadem ſtirpe cum Rege, ſed eſt primus, id eſt primogenitus in ea ſtirpe, quæ deficiente ſtirpe regia ad regni ſucceſſionẽ lege Regia vocatur. Ita vt ſi prærogatiuã primi Principis duci Andegauenſi tribuas, illum ex ſtirpe Valeſia, in qua primus non fuit, in aliam familiam tranſferas. Hæc Recanato valdè noua eſſe non dubito. Itaq; non miror I. C. Recanatenſem primum Principem pro præſumpto herede regni accepiſſe. Nos verò Franci magna cum veneratione Regiæ familiæ hæc nomina diſtinguimus, neque temerè titulos tam ſacræ, tam auguſtæ conſanguinitatis confundimus, cùm hac fini ſint reperti, vt ex ipſis nominibus ius, dignitas, & ordo regij ſanguinis cognoſcatur. Primum Principem in familia Valeſia præter Regem ipſum quemquam appellare non licet, Zampine. Sed in familia Borbonia primogenitus, etſi viuentibus auguſtiſs. fratribus Valeſiis longiſsimè abeſſet à regia ſucceſsione, tamen primus Princeps ſanguinis dicebatur. Et ſub hoc nomine primi Principis, anno 1560, Sereniſs. Antonio Regi Nauarræ Regis Chriſtianiſs. & fratrum auguſtiſsimorum, adeoq; totius regni cura & adminiſtratio, quam Regentiam vocamus, vt proximo agnato in celeberrimo regni ordinum conuentu delata eſt: quo vnico, ſed inuictiſsimo argumento, totam hanc

Tilius cap. de Regentijs.

tractationẽ absoluere liceret, cùm non ex Brocardicis aliquot glossematis aut paralogismis, sed totius regni consensu, auctoritate, & decreto, cuius memoria est perpetua, cõstet apud omnes Francos d. Antonium prærogatiuã primi Principis habuisse, ad quam ei ius omne vel informe adimis. Verùm ne te in nominibus tãtum errasse existimes, aut contra leges Aristotelicas disceptationem præcidisse potius quàm soluisse tibi videar, errorem hunc fauori peregrinitatis condono, & primum Principem tecum, pro præsumpto herede regni vsurpabo. Ergo, vt ad rem redeam, quandoquidem ex superioribus constat legem allodialem à te allatam non esse legem regiam, te verò legem regiam penitus ignorare, mirum non est si de re tibi ignota vanissimè & ineptissimè disseras: Nam, vt diuinè monet Aristoteles, quicunque ad dicendum de re qualibet aggreditur, duas notiones anticipatas habere debet, vnam ὅτι ἐστὶ, alteram τί ἐστί: non enim satis est scire ὅτι ἐστὶ, verbi gratia esse legem Regiam, sed etiam probè nosse oportet quid sit lex Regia, si de lege Regia cum recta ratione velis disserere. Hoc igitur cùm tu ignores, æquũ est ne clausis oculis Andabatarum more pugnam hanc ineam, vt quid sit lex Regia à me intelligas.

LEGIS huius Regiæ αὐτόγραφον, Zampine, non in archiuis publicis, non in Senatus actis, non in I. C. libris, sed in omnium Francorum nullis artibus peregrinis infectorum pecto

pectoribus insculptum reperies. Hanc nulli peregrino inspicere fas vnquam fuit, quandiu sterit Maiestas & honos Francorum institutorum: sed postquam peruerso omni iure diuino & humano ciuis indigena Francus in Francia pro peregrino habetur, peregrini verò ciuium iure donati sunt, illam tibi recitare nõ dubitabo. Legis Regiæ hæc est sententia, Zampine: *Rege mortuo ad filium eius primogenitum, vel hoc præmortuo ad nepotẽ ex eo regni successio perueniat. Si sine liberis decesserit, & in illius stirpe masculus esse desierit, tum ad proximam regiæ gentis stirpem, eodem primogenituræ ordine seruato, regni successio transferatur.* Hæc est lex Regia, mi Zampine, quam non tu homo peregrinus refiges, non omnes peregrinæ nationes cõuellent, non totus terrarũ orbis obruet, non totus Oceanus ex animis Francicis delebit vnquam. Hæc est, inquam, lex Regia regni Francici adeò propria, vt quicumque eodem iure vtuntur, iure Francorum viuere dicantur, vt vel ab iis, quibus respondisse vis videri, discere debuisti. Et quandocunq; (quod Deus auertat) abrogabitur lex hæc Regia, abrogabitur regnum Francicum, & ex forma nouæ legis Regiæ incipiet nouum regnũ, puta Zampinianum, aut aliud eiusmodi. Huius legis Regiæ si testes quæris, Zampine, consule Francica Parlamẽta, iuris Francici oracula, consule Francos practicos, roga vt te peregrinum institutorum Francorum ignarissimum iura nostra doceant. Si Parlamẽta, si practici

Lex Regia.

ctici, improbata tua curiositate, responsum denegent, téque Recanatũ abire, aut in aliena Republica linguam cohibere iubeant, consule fœminas, consule rusticos, cõsule pueros ipsos: licet enim à quocumq; cuiusuis sexus, ordinis, & ætatis ius Frãcis omnibus naturale discas: & cùm consuetudo omnis sit facti, hanc ab indigenis petere I.C. Recanatensis erubescere non debet.

HACTENVS de prima parte tuæ ignorãtiæ, quam tibi Recanatensi, & naturalis iuris Francici incapaci, facillimè cõdonarem, nisi insignis tua audacia in attingendis tanti imperij arcanis omni venia & excusatione indigna videretur. Quis enim à te hanc operam exegit? Quod ad alteram partem tuæ ignorantiæ, hanc sane risu quã responso dignam iudico. Fateor equidem ex responsis I. C. rectè peti argumenta ad interpretationem legis aut edicti Francici: Sed Vlpianum legem regni Francici declarare, quæ Vlpiani declaratione est clarior, cui tandẽ persuadebis? Vlpianus prætorium edictũ declarat, quo liberi indefinitè vocabantur, vt gradatim succedere intelligantur. Lex Franciæ non liberos, sed primogenitum, sed primogeniti primogenitum, &, deficiente prima stirpe, secundæ stirpis primogenitum, & illius primogeniti primogenitum vocat disertissimè. Quid hîc declaratio Vlpiani facit, qua liberi gradatim vocantur? Turpe est sine lege loqui, turpius lege allata ineptè loqui.

l. j. §. liberos. ff. de coniung. cum emancip. lib.

VIDES

VIDES, Zampine, quàm verè dixerim ſcientiam tuam multiplici ignoratione mixtam eſſe: Vides, inquam, quantam lucem tenebricoſæ tuæ ſcientiæ attulerim, & quàm benignus ſim diſputator. Hactenus enim, (ſcientia tua à tua ignoratione vindicata & purgata,) mihi, ni fallor, tecũ cõuenit: quippe hoc iubet diuinus Ariſtoteles, hoc boni mores poſtulant, vt veritatem vel in caſtris aduerſarij militantem nobis militare exiſtimemus, eiq́; nos lubentiſſimis animis coniũgamus. Sed mox videbis, Zampine, hanc veritatem detectis tuis dolis vltrò in meas partes tranſire.

CÆTERVM, quandoquidem de medio Analytico in maiori propoſitione adducto inter nos conſtat, nempe legem regiam ei ſoli qui proximus fuit tẽpore mortis ſereniſs. Ducis And. ſucceſſionẽ prærogatiuæ primi principis, id eſt, præſumpti heredis regni Francici deferre: vt ex hoc principio tuam concluſionem efficias, requiritur ex lege Ariſtotelica ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρῳ, καὶ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι θάτερον θατέρου, vt medium iſtud de ſubiecto tuæ concluſionis prædicetur: neceſſe eſt, inquam, vt certiſſimis & inuictiſſimis rationibus efficias illuſtriſs. Card. Borbonium proximũ fuiſſe tempore mortis ſereniſſimi ducis And. & cùm hîc totius quæſtionis vertatur cardo, quæſo vos Franci animum attendite. *Hoc* (inquit Zampinus) *controuerſum eſſe vix poteſt: erat enim cum illo in decimo conſanguinitatis gra-*

In omni altero alterum eſſe, & alterum alteri omni tribui. Ariſt. Priorũ Anal. lib. 1. cap. 1. his verbis deſcribit principiũ omnis rectæ ratiocinationis.

 du, &

du, & tum facti notorietas, tum genealogiæ inſpectio ante oculos omnium ponunt in vniuerſa familia regia nullum extitiſſe qui tunc aut ætate aut gradu Cardinalem ipſum præcederet: Cardinalem verò omnes ætate ſuperaſſe.

ΛΥΣΙΣ.

O ZAMPINE, idcirco igitur Recanatum tuum reliquiſti, idcirco in Franciam tui doctoratus pompam tranſtuliſti, vt his præſtigiis, optimo Principi illuderes, vt Francos principes tuis paralogiſmis committeres, vt Franciam, quæ te, quæ tot gentiles tuos tam benignè ſuſtinet, alit, ditat, iſtis incentiuis incenderes? At non ſinit Ariſtotelica moderatio dolori indulgere. Itaque, relictis querimoniis, examini placido & analytico tuas probationes ſubiiciamus. Quæſtionis eſt, quis proximus fuerit tempore mortis ſereniſſimi Ducis Andegauenſis in ſucceſſione prærogatiuæ primi Principis Franciæ. Reſpondes, Zampine, illuſtriſſimum Cardinalem Borbonium proximum eſſe gradu dicto Duci. Sed categoricè nõ reſpondes: latet autẽ πρῶτον tuum ψεῦδος in voce hac *proximus*. cũ nõ quæratur quis proximus fuerit Duci, ſed quis proximus in ſucceſſione: quæ duo Francica noſtra lingua meliùs diſcernentur, ſi Francicè noſti: La queſtion eſt de ſçavoir qui eſt le plus habile à succeder, non pas ſçavoir qui eſt le plus proche parent. Illuſtriſs. enim Cardinalem eſſe proximum gradu, & genealogia à te allata, & noua regis declaratio ſatis probat,

Proximus.

bat, idq; inter nos, adeoq; inter omnes eſt extrà omnem controuerſiam. At *proximus in ſucceſsione, non vtique eſt qui defuncto eſt proximus, ſed quem nemo antecedit in defuncti ſucceſsione.* Idcirco *proximum non ex proximitate gradus, ſed ex ordinis ſucceſsiui prærogatiua Iuriſconſultus definiuit:* quia ſcilicet fieri poteſt, vt gradu proximus non ſit proximus in ſucceſſione, vt quamplurimis iuribus probare liceret, niſi rē certam probare puderet. Tu verò, Zampine, cùm per gradus proximitatē ſucceſſionis proximitatem demonſtras, perinde facis ac ſi quis Animal per hominem demonſtraret. Rideres, ſcio, eiuſmodi probationem: nam ſi affirmatio hominis eſſet cauſa affirmationis animalis, certè negatio hominis eſſet cauſa negationis animalis, vt docet Ariſtoteles in topicis. Atqui negatio hominis non eſt cauſa negationis animalis: ergo affirmatio hominis non eſt cauſa affirmationis animalis. Sic etiam, & pari prorſus ratione, ſi affirmatio proximitatis in gradu, eſſet cauſa affirmationis proximitatis in ordine ſucceſſorio, certè negatio proximitatis in gradu eſſet cauſa negationis proximitatis in ordine ſucceſſorio: quod tamen falſum eſſe & præallegata iura, & quamplurimæ variarum gentium hiſtoriæ, & lex ipſa Francica ſatis conuincunt. Quod & vt tibi magis innoteſcat, finge, exempli gratia, Sempronium in primis tabulis conſobrinum heredem inſtituiſſe, in ſecundis nepotem ex fratre defuncto, in tertiis fratrem ſuperſt

lib. feud. 2. tit. 26. §. Titius filios. & eodē lib. 2. tit. 23. ſi vaſall. feud. priu. l. j. ff. de ſucceſſ. edict. l. 1. ff. quis ordo in poſſ. l. 11. C. de ſuis & legit.

perſtitem. Quæro à te, Zampine, quis horum erit proximus iure hereditario in ſucceſſione iſtius Sempronij? vtrum frater gradu proximus, an conſobrinus gradu remotiſſimus? An negabis proximitatem ſucceſſionis ex defuncti iudicio eſſe æſtimandam? Quod ſi priuati cuiuſque voluntas poteſt facere, vt qui eſt gradu remotiſſimus, imò extraneus, pro proximo in ſucceſſione contra naturalis ſucceſſionis leges habeatur: cur, Zampine, legis Regiæ ordinatio & iuri diuino & naturali æquitati conſentanea (vt pluribus plures docuerunt ante me) non faciet, vt qui verè eſt proximus ſit proximus? verè autem proximum cum Iuriſconſulto voco, quem nemo antecedere debet, qualis eſt is qui in primogeniti ſtirpe eſt primogenitus. Ergo, ſi agnoſcis proximitatem in priuatorum ſucceſſionibus ex ordine ſucceſſorio eſſe æſtimandam, agnoſce quoque, Zampine, in ſucceſſione regia proximitatem non gradu, ſed legis regiæ ordinatione, quæ teſtamenti regij eſt inſtar, eſſe cenſendam. Agnoſce, inquam, (ni Iuriſprudẽtiam corrumpere velis) eum eſſe proximum, quem nemo antecedit, ſiue ex lege, ſiue ex iudicio defuncti. Quod ſi quæratur quiſnam ſit is quem nemo antecedit, id iam non ex proximitate gradus, quæ eſt ſpecies proximitatis, ſed ex lege in ſucceſſione ſeruanda, & proximitatem ſucceſſionis conſtituente, ęſtimabis: cùm τὸ τὶ ἦν εἶναι proximi non ſit gradus, vt vides, ſed ſit ius proximè ſuccedẽdi, ſiue ex lege, ſiue

causa formalis

ſiue ex teſtamento, ſiue ex conſuetudine, aut alia quauis ratione. Et imperitè falleris, Zampine, παρὰ τὸ ἑπόμενον, cùm proximum, & proximum gradu confundis. Imò nec verè quidem dicis illuſtriſsimum Cardinalem gradu eſſe proximum, cùm iuribus à clariſſimo Hotomano & aliis allegatis non reſpondeas, quibus conſtat repræſentationi in hac ſucceſſione locum eſſe. Verùm, vt pleniſſimè te doceam proximitatem in ſucceſsione regni Franciæ per proximitatis gradus non numerari, ſciendum eſt tibi, Zampine, nunquam in Francia præſumptos heredes regios, per gradus ſeu conſanguinitatis nomẽ deſignari, ne ipſos quidem liberos, vt appareat illos à lege non ſub nomine naturali filiorum, ſed ſub nomine legitimo à lege regia accepto ad ſucceſsionem regiam vocari. Itaq; filius natu maior heres regni ſub nomine de MONSEIGNEVR LE DAVPHIN: filius minor natu aut nepos aut frater ſub nomine de MONSEIGNEVR: at ſi heres regni ſit ex alia ſtirpe Regia, ſub nomine primi Principis ſanguinis abſque vlla gradus aut cõſanguinitatis mentione deſignatur. Quòd ſi gradus proximum faceret in ſucceſſione, certè non alio quàm gradus & conſanguinitatis nomine præſumptum heredem decorare fuiſſet operæpretium: ſed iſta Iuriſconſultus Recanatenſis, neque Recanati, neque in ſcholis Italicis didicit vnquam. At ſanè tacere & imperitiam Recanatenſem prudenti ſilentio tegere

à conſequente,

discere debuisset. QVÒD ad ætatem illustriss. Cardinalis, tantùm abest vt ad ius proximitatis in successione aliquid faciat, vt quãtum ætati additur, tantum spei dictæ proximitatis detrahatur. Sed & si Nestoris annos attigisset d. illustriss. Card. Borbonius, nihil tamẽ plus iuris in dicta proximitate haberet, quàm si heri natus esset. Ratio est in promptu: nam si nemo eum antecedat in ordine regiæ successionis, quandocunque natus fuerit, erit proximus: Si aliquis præcedat, quantũuis ætate vel gradu remotior, nihilominus ex lege Regia d. illustr. Cardinalis non erit proximus. Nihil ergo facis, Zampine, cùm ætate & gradu proximitatẽ probas, quæ iure antecedendi in regia successione fuit monstranda, vt ex ipsa definitione proximi clarum fecimus, quam tu ineptissimè peruertere conaris, dum ius antecedendi per gradus proximitatem demonstras: cùm contra ius proximitatis in successione, ex iure antecedendi sit iudicanda, & ius antecedendi, vt ipse fateris, in quęstione nostra non aliunde quàm ex præscripto legis regiæ censeri debeat. Proximũ igitur in regia successione, id est, præsumptum regni heredem, ita licet definire: Proximus in Regia successione est is, qui eum locum occupat, cui ex præscripto legis regiæ prærogatiua præsumpti hæredis seu primogenituræ regiæ debetur, quocunque tandem sit gradu.

EVERSIS igitur dirutísque tuis fundamentis, correctionem erroris more Aristote-

lico

lico adhibeamus, & falſo ſophiſticóque elencho verum & analyticum opponamus. Cæterùm cùm Elenchus tuus ſit ex eo genere ſyllogiſmorum ignorantiæ, qui verum & analyticum medium retinent, de quibus agit Ariſtoteles primo poſteriorum Analytic. ἐπανόρθωσις fiet per ἀντίφασιν, hoc modo:

Quicunque ex legis regiæ præſcripto non proximus fuit in ſucceßione Regia tempore mortis ſereniß. Ducis Andeg. illi lex regia non defert ſucceßionem prærogatiuæ primi Principis, id eſt præſumpti heredis regni Franciæ.

Atqui illuſtriß. Card. Borbonius eſt eiuſmodi, id eſt, non proximus fuit in ſucceßione Regia ex legis regiæ præſcripto tempore mortis ſereniß. Ducis Andeg. Vt patet ex ſuperioribus.

Ergo illuſtriß. Card. Borbonio lex regia non defert ſucceßionem prærogatiuæ primi Principis, id eſt præſumpti heredis regni Franciæ.

QVEMADMODVM igitur falſam tuam κατάφασιν per veram ἀπόφασιν correxi, ita falſæ tuæ ἀποφάσει veram κατάφασιν oppono hoc modo:

Quicunq; ex præſcripto legis Regiæ proximus fuit in ſucceßione regia tempore mortis ſereniß. Ducis Andeg. illi ſoli lex regia defert ſucceßionem prærogatiuæ primi Principis, id eſt præſumpti heredis regni Franciæ.

Atqui ſereniß. Henricus Rex Nauarræ fuit proximus in ſucceßione Regia tempore mortis ſereniß. Ducis Andeg. ex præſcripto legis Regiæ.

Ergo ſereniß. Henrico Regi Nauarræ ſoli lex regia

gia defert succeßionem prærogatiuæ primi principis, id est præsumpti heredis regni Franciæ.

IGNOSCE verò, ô sacrosancta & nunquam satis veneranda legis regiæ maiestas, in cuius vnius salute & regis, & totius tanti regni salus consistit, ignosce, inquam, si Iurisconsulti peregrini scripto prouocatus de tuo capite disserere audeam. Litem enim non facio, sed conficere aggredior, ac, diuino fauente numine, veritatis armis instructus, argumenta omnia Zampiniana ita conficiam, vt sarta tecta in perpetuum maneat tua auctoritas, & quidquid à Recanatensi Iurisconsulto in cõtrarium adferri poterit, in æternum erroris manifesti & ignorantiæ nullo negotio conuincatur. Audite igitur, ô Franci omnes, qui Francos animos geritis, non Recanatenses, non peregrinos, audite enstases Zampinianas aduersus tutelaria vestra iura, aduersus inuiolabilem Francicam maiestatem, aduersus vnicum afflicti & tantumnon funditus euersi regni columen. Vt autem statum controuersiæ perspicuè intelligatis, antequam rationes Zampinianas discutiam, audite problema quod Zampinus I.C. probare aggreditur.

PROBLEMA ZAMPINIANVM.

Licet Antonius Henrici regis Nauarræ pater potuerit cognitus esse à natura & ætatis ratione primogenitus esse, cùm nihilominus nũquam fuerit cognitus à lege vel consuetudine,

vt

vt priuilegium illi deferrent, nunquã in quæstione nostra, aut in sua natiuitate, aut in vita, aut in morte ius primogenituræ vel formatum vel informe habuit, aut primogenitus vnquam fuit: adeóque fuit ad consequendam primogenituram inhabilis, ita vt nec spem quidem probabilem ac successionem illius habere potuerit, ac proinde sereniss. Henricus patre inhabili natus, est etiam ad dictam prærogatiuam inhabilis.

Hoc problema, Zampine, si ex principiis veris effeceris, eris mihi magnus Apollo. at vtinam, Zampine, Aristotelem aliquando legisses, aut amicus aliquis te monuisset, ὅτι οὐ δεῖ πᾶν πρόβλημα οὐδὲ πᾶσαν θέσιν ἐπισκοπεῖν, ἀλλ' ἣν ἀπορήσειεν ἄν τις τῶν λόγου δεομένων καὶ μὴ κολάσεως. Doleo enim te, hominem alioqui (vt credo) non malum, aut spe famæ, aut famis metu, eiusmodi thesin tibi proposuisse, quæ supplicio & pœna magis quàm responsione indiget. Adeó ne senuisse Frãcicam seueritatẽ, aut bellis tuis consultationibus excitatis fractam putas, vt tibi homini peregrino liceat statum sanguinis Francici in dubium vocare? O felicitatem Iurisconsulti Recanatensis, si tandem aliquando facti & dicti non pœniteat!

non licet de quouis problemate disputare, sed de eo duntaxat de quo dubitauerit aliquis indigens rationis non pœnæ.

AGE VERÒ, problematis Recanatensis singulas partes expendamus: hoc enim fieri in primis iubet Aristoteles, vt quæ sophista orationis obscuritate inuoluit, orationis perspicuitate explicentur; quam vt assequamur, non

tantùm homonymias diſtinguere, & amphibolias diſcernere, ſed etiam Metalepſim iubet adhibere, cuius ope tota oratio obſcura, intricata, barbara, in orationẽ claram, planam, Romanam conuertere licet. Hac enim arte inertes ſophiſtarum artes detegentur, & veritas extra omnem diſputationis aleam tutiſſimè collocabitur. Vos verò, ô Franci, dum, ſicut in obſcuro fieri par eſt, lento pede ſalebroſa problematis Zampiniani loca pertento, ſuſtinete parumper: mox enim prælium redintegrabitur.

ΑΝΑΛΥΣΙΣ PROBLEMATIS ZAMPINIANI.

Ne peregrinis & minus notis dicendi modis I. C. Recanatenſis imponat, videndum eſt quid ſit *cognitum eſſe à natura*, & *cognitum eſſe à lege*. Item quid ſit *Ius formatum*, & quid *Ius informe:* his enim explicatis intentio Zampiniana plana eſt. Et cùm quiſque mentis ſuæ ſit optimus interpres, Zampinum ipſum audiamus:

Dvo (inquit I. C. Recanatenſis) ad primogenituram requirũtur, ætas, & priuilegium, ſicut ad mulſum conficiendum duo requiruntur, aqua & mel. Licet enim ſimilitudines & parabolas etiam in grauiſſimis cauſis adhibere. Aetatis efficiens Zampino eſt natura: Priuilegij verò, lex vel conſuetudo. Cognitus igitur ille eſt à natura, cui natura contulit ætatem ad primogenituram. Cognitus verò eſt à lege vel conſuetudine, cui lex vel conſuetudo priuilegium

gium contulit ad primogenituram. His duobus concurrentibus, constituitur primogenitura auctore Zampino. At ſicut ex ſola aqua non fit mulſum, neque ex ſolo melle: ita niſi ſymbola ſua natura & lex in vnum conferant, non fit primogenitura Zampiniana: hoc ex textu Zampini clarum eſt. Rogo igitur, dic ſodes, quid primogenituræ nomine intelligas. Fateor enim me hærere in hac voce. Reſponde, mi Zampine. An intelligis primogenituram in familia Borbonia, per quam ſereniſſimus Antonius inter fratres fuit maior natu, & caput familiæ Borboniæ: an verò prærogatiuam præſumpti heredis regni Francię, quæ non incommodè primogenitura dicitur, cùm ortum habeat à primogenitura? Vtrumuis reſpondeas, Zampine, incidis in Scyllam dum vitas Charybdim. Si primogenituram in familia Borbonia intelligas, ſequitur ergo ex tuo principio Antonium natura quidem & ætate fuiſſe primogenitum inter fratres, ſed lege & conſuetudine non fuiſſe primogenitum inter fratres, id eſt, priuilegium primogeniti inter fratres non habuiſſe. Ac proinde reſcindenda eſſe familiæ erciſcundæ iudicia, quibus pars primogenito Borbonio debita d. ſer. Antonio fuit adiudicata. Sequitur in familia Borbonia viuente Antonio, non fuiſſe primogenitum, cùm Antonius aquam haberet, mel non haberet: reliqui fratres mel haberent, aquam non haberent. Ita vt aqua cum melle non mixta

nunquam factum fuerit mulſum. Hæc cogitanti mihi, mi Zampine, in non leuem ſuſpicionem adducor, tuos Recanatēſes, perſpectis ſubtilitatum tuarum miraculis, te ſuis finibus exulare voluiſſe. Quando igitur hac non ſuccedit, alia tentandum eſt via: dicas te nomine primogenituræ ius prerogatiuæ præſumpti heredis regni intelligere.

Hoc ergo tibi vis, Zampine, naturam quidem Antonio ſymbolum ſuum contuliſſe, vt gauderet prærogatiua præſumpti heredis: legē verò & conſuetudinem non contuliſſe, ita vt miſtura nō facta, mulſum quoque factum non fuerit. Ergo Antonio viuente prærogatiua præſumpti heredis regni penes Antonium nō fuit, cui legis vel cōſuetudinis priuilegium defuit. Sed nec penes vllum ex familia Valeſia fuit dicta prærogatiua, quippe deficiente naturæ ſymbolo, quod Antonio ſemel tributum nulli alij tribuere potuit natura viuo Antonio. Attendite, ô Franci, doctrinam Zampinianam: quādiu vixit Antonius, prærogatiua præſumpti heredis regni nuſquam fuit, nec penes auguſtiſsimum quidem Principem Franciſcum Chriſtianiſsimi Henrici regis primogenitum. Viuebat enim ſub Franciſco Antonius à natura cognitus, ita vt Franciſcus cognitus eſſet tantùm à lege. Vide, mi Zampine, quomodo te hinc extrices ſtante tuo principio de conſtitutione primogenituræ. Equidem vereor vt ſit fruſtrà quicquid conaberis. Sed miſeret me

I.C.

I. C. Recanatensis, non malitia, sed imperitia impingentis παρὰ τὸ μὴ δύνασθαι διαιρεῖν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον. Hanc ἀπαιδευσίαν si agnoscis, ecce manum auxiliarem porrigo. Fatendum tibi est, Zampine, primogenituram aliam esse naturalem, aliam legitimam: naturalem voco, qua quisque natu maior, respectu minorum, dicitur primogenitus: legitimam verò, quæ non annorum numero, sed legis vel consuetudinis beneficio censetur, quando scilicet lex vel consuetudo certæ cuidam personæ priuilegium aut prærogatiuam defert, quæ primogenituræ naturali debita videtur. Hæ duæ primogenituræ sunt duo diuersa καθ' ἕκαστα, quę separatim intelligi possunt: ita vt primogenitura naturalis sine priuilegio legis, & primogenitura legitima sine ætate stare posit. Exempli gratia, si (quod Deus noster omnipotens & misericors velit in solatium Francorum, & in perniciem & pudorem peregrinorum omnium quotquot successioni & spoliationi regiæ inhiant) filius Regi nascatur, infans ille dicetur & erit primogenitus in successione Regia, licet, ratione ætatis, inter omnes Principes sanguinis sit postremus: quãuis, inquã, infans iste symbolũ illud, quod à natura requiris, Zampine, nõ haberet, tamen, cùm sit in linea seu familia primogeniti, cui prærogatiua debetur per legem, habebitur pro primogenito, respectu reliquorum omnium, qui sunt in lineis & familiis natu minorum. Hæc est vera primogenitura Regia, Zampine: nam

Ex eo quòd non posit distinguere id quod dicitur pluribus modis.

nam (vt hoc obiter diſcas) non ſuccedet infans iſte in regno patri tanquam patri, ſed tanquam Regi: nec ipſe vocatur vt filius, ſed vt vocatus & ordinatus à lege ſeu à cõſuetudine regia ſub ratione primogenituræ ſtirpis, lineæ ſeu familiæ in qua eſt natus, adeò vt nihil plus iuris in ſucceſsione regia filius hic habeat, quàm ſi cẽteſimo gradu, vt Baldus loquitur, à rege eſſet remotus, dum nemo illum in regia ſucceſsione antecederet. Hæc paucis: nam quæ doctiſsimus, & iuris Francici peritiſsimus Ioannes de Terra Rubea, quæ Boërius, quæ Baldus, quæ Iacobinus de Sancto Georgio, & alij plures fuſiſsimè in hanc ſententiam tractarunt, tranſcribere non vacat, non expedit, cùm plenam tractationem ſcribere non inſtituam, ſed Zampinum duntaxat vi ac viribus τρόπȣ παιδείας πρὸς ἀφασίαν adigere. Agnoſce igitur te duplicem errorem in tuo problemate errare: vnum quòd ὁμωνυμίαν primogenituræ non diſtinguas: alterum, quòd in omni primogenitura ætatem & priuilegium deſideres. Ex quo errore illud neceſſariò ſequi vides, vt infans ille, quem optamus, quem ſperamus omnes regi naſciturũ, nõ futurus ſit primogenitus donec à natura ætatẽ acceperit, qua reliquos omnes regios principes antecedat: quas abſurditates, reiecto tuo principio, vitabis, ſi dixeris primogenituram familiæ Borboniæ (quam naturalem licet appellare) Antonium habuiſſe: primogenituram verò legitimam, nempe prærogatiuam præ-

ſumpti

ſumpti heredis, non habuiſſe. Tibi enim hac in parte ſubſcribimus : nec tamen tibi propterea deberi olympicum illud melos καλλίνικε χαῖρε poſtmodum cognoſces. Hîc enim non pugno: præludia ſunt iſta, in tui potius, quàm in mei gratiam inſtituta, vt abſtruſos & altè repoſtos mentis tuæ ſenſus grandiloquo dicendi genere conceptos trito & populari ſermone exponamus: Cui officio vt ſatisfiat, ſupereſt mihi explicandum quid ſit Zampino ius formatum, & ius informe.

SCHOLASTICI doctores, qui ad Iuriſprudentiæ ſtudium acceſſerunt illotis manibus, ſicut Zampinus, id eſt, ſine cognitione Philoſophiæ & bonarum omnium artium, innumeris barbariſmis Iuriſprudentiæ dignitatem fœdarunt, adeò vt ſi Scæuola & Papinianus hodie viuerent, vix, ac ne vix quidem, idioma ſcholaſticæ Iuriſprudentiæ perciperent. Ex hoc idiomate ſcholaſtico priſcis Iuriſconſultis (viris principibus aut præcipuas Principum curas adminiſtrantibus) incognito, hauſit hanc diſtinctionem iuris formati & informis Zampinus, vix Recanati inter ſcholaſticos numerãdus, quamuis Pariſiis, propter penuriam Doctorum & Iuriſconſultorum, pro Iuriſconſulto ſe venditet. Ius autem formatum vocat ius plenum in re aliqua, vt cùm, exempli gratia, heres inſtitutus in teſtamento hereditatem adiit ex teſtamento : poſt aditam hereditatem, dicetur lingua Zampiniana habere ius formatum in hereditate

reditate, ſed antequam adierit, habet tantùm ius informe ad hereditatem. Ius enim habet cùm ſit inſtitutus, ſed ius illud nondum plenam & abſolutam formam videtur cōſecutum, cùm heres inſtitutus, non ſit heres, niſi adeat. At quamdiu poteſt adire, habebit ius informe: quod ſi ſemel repudiauerit, aut teſtamentum aliquo modo fiat irritum, tum ius nullum habebit, neque formatum, neque informe. Formatum igitur eſt ἐνέργεια, ſeu actus perfectus ab omni δυνάμεως conditione vindicatus: informe verò eſt δύναμις ſeu facultas & habilitas perueniēdi ad actum. Formatum eſt quod perductum eſt ad eſſe, informe eſt quod duntaxat poteſt eſſe.

SED in explicatione problematis Zampiniani ſatis ſupérque ſudauimus: quod iam ſuperiori tractatione purgatis homonymiis & barbariſmis, ita, ni fallor, ad intentionem Zampini aptiſſimè videtur proponendum:

Quamuis Antonius fuerit primogenitus in familia Borbonia, tamen nunquam primogenitus fuit in ſucceßione regia, neque vllo vnquam tempore natiuitatis, vitæ, aut mortis habuit prærogatiuam primi Principis, id eſt præſumpti heredis regni Franciæ: quinimo nullo vnquam tempore dictam prærogatiuam habere potuit, ſed omni tempore fuit inhabilis ad d. prærogatiuam conſequendam.

QVOD ad primam partem huius problematis, qua nempe Zampinus aſſerit Antonium

nunquam

nunquam fuisse primogenitum in successione regia,in ea consentientem habet aduersarium. Quis enim hoc negauit vnquam?

Ad alteram igitur venio, qua diserrè affirmat, inculcat, & pluries repetit, serenifs. Antonium nullo vnquam tempore habilem fuisse ad primogenituram in successione regia consequẽdam, sed omni tempore fuisse inhabilem ad dictam primogenituram seu præsumpti heredis regni prærogatiuam. Iam igitur peracto præludio signa canant. Tu verò, Zampine, caue tibi: instat hora decretoria. Audis has tubas signũ cõmissionis & pugnæ veræ clãgore ferali sonantes? *Necessum est Vorsis gladijs depugnarier.*

Vos igitur, ô Franci, qui moderatores & arbitri sedetis horum ludorum, quæso oculos aduertite. Zampinũ in statũ stantẽ, seq; in arma colligentẽ, attentè inspicite: Videte quantis viribus insurgat in iura vestra. Auditis enim Retiarii Recanatensis catilenã: *non te peto*, inquit, *piscem peto*: piscis verò in galeæ huius apice effigiatus, est pax, securitas, & maiestas regni Frãcici. At ego Gallus Mirmillo strenuè præstabo ne attingat. Manum frustra non mittam, prima petitione pugna pugnabitur. Sed præstat ictum excipere, ne arte se præoccupatũ, quàm viribus victum cõqueratur apud suos Zampinus, si missionem impetrauerit. Irrue Zampine, feri caput Francicis legibus obligatum & deuotum.

ENSTASIS ZAMPINIANA.

Quandocunq; prærogatiua primi Principis peren-

nis fuit in familia Valeſia, Antonius fuit inhabilis ad dictam prærogatiuam.

Atqui logè antequam natus eſſet Antonius, & quandiu vixit, & longè poſt eius mortem, prærogatiua primi Principis fuit perennis in familia Valeſia.

Ergo, longè antequam natus eſſet Antonius, & quamdiu vixit, & longè poſt mortem ſuam, fuit inhabilis ad dictam prærogatiuam.

ΛΥΣΙΣ.

MIRARIS, ô bone Zampine, neminem acclamare tritum illud *hoc habet.* Miraris ictum tuum fuiſſe irritum, & me in gradu & ſtatu ſtetiſſe, nempe propter ἀπαιδευσίαν, non vides telum tuum non eſſe telum, teq; παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν imperitiſſimè decipi. Sinite igitur, ô Fráci, vt doctoris laniſtæ perſonam ſuſcipiam, & nouitium hunc tyronem condocefaciam.

VIS tota & efficacia ſyllogiſmi, ô Zampine, in eo conſiſtit, vt poſitis propoſitionibus concluſio neceſſariò ſequatur. Eſt enim ſyllogiſmus λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι.

oratio in qua quibuſdã poſitis aliud quiddam diuerſum ab his quæ poſita ſunt accidit, eo quòd hæc ſint. Ariſto. lib. 1. prior. Analyt. c. j.

ELENCHVM autem tuum non eſſe eiuſmodi, vt poſitis propoſitionibus, & conceſſis, concluſio neceſſariò ſequatur, ſatis intelliges, ſi ſcias omnem habilitatem per aliquam cauſſam internam exiſtere, non autem ex accidente aliquo externo pendere, cùm ſit actus quidam primus, ad cuius conſtitutionem tantum abeſt

vt

vt vita vel mors, actio vel passio alterius quidquam faciat, vt ne actus quidem ipsi secundi, illius penes quē est ipsa habilitas, in eius definitionem veniant: Ita vt habilis esse possit ad musicam Dromicam & Pycticam etiam qui musicam Pycticam & Dromicam non nouit: οὐ γὰρ τῷ διακεῖσθαι πῶς, ἀλλὰ τῷ δύναμιν ἔχειν φυσικὴν ἢ ἀδυναμίαν τοῦ ποιῆσαί τι ῥαδίως, cēlenda est habilitas aut inhabilitas, vt docet Aristoteles in Categoria Qualitatis. Vides, Zampine, amorē in te meum, qui infra meam dignitatem descendere voluerim, vt te tanta cura tamq; familiariter docerem: Sed vt ipse tuæ ἀπαιδευσίας iudex esse possis, de alio vitio es monēdus, quo manifestè laborat propositio tua maior, quod Aristoteli παρὰ τὸ πῆ καὶ πῶς καὶ ἁπλῶς, in scholis verò à dicto secūdùm quid ad dictū simpliciter vulgò nuncupatur. Ponis enim prerogatiuam primi Principis (quam scilicet pro prærogatiua præsumpti hæredis accipis) absolutè perennem fuisse in familia Valesia, cùm tamē absolutè non fuerit perennis in dicta familia, sed tantùm πῆ καὶ πῶς, quandiu scilicet extitit aliquis Princeps in dicta familia, qui regi in regia successione posset succedere. Aut si non ponis dictam prærogatiuam fuisse absolutè perennem in familia Valesia, certè propositio maior tui syllogismi manifestè falsa est: nā si agnoscis potuisse contingere vt dicta prærogatiua desineret in dicta familia Valesia viuo Antonio, agnoscis etiam potuisse contingere vt dicta prærogatiua ad

non enim eo quòd dispositionem iam sit aliquis consequutus, sed eo quòd facultatem aut imbecillitatem naturalem ad aliquid facilè faciendum habeat.

Antonium perueniret:& quamuis aliter de facto contigerit, habilitas tamen & possibilitas non ex euentu, ſed ex natura ipſa rei æſtimanda eſt: alioquin ſi habilitatem tantùm agnoſcas, quando ad actum peruenit, tollis ius tuum informe, & abis in ſcholam Megarẽſis illius Philoſophi, qui nihil eſſe δυνάμει volebat, & architectum eo tãtùm tempore architectum eſſe quo ædificaret: quamprimum verò ædificare deſineret, architectum quoque eſſe deſinere aſſerebat. Quas ineptias pluribus in Metaphyſicis refellit Ariſtoteles: ſicut etiam in libro de Interpretat. grauiter illos reprehendit, qui cùm ex euentu, vt tu facis, res æſtimarent, contingentiam omnem tollebant, omniaq; neceſſariò fieri exiſtimabant. In quorum ſententiam te tranſire animaduertis, cùm ex eo quòd, quandiu vixit Antonius, prærogatiua præſumpti heredis regni fuit in familia Valeſia, concludis dictum Antonium fuiſſe inhabilẽ ad dictam prærogatiuam, quaſi propterea quòd ita accidit, aliter per rerum naturam accidere non potuerit. Nam ſi cõcedis per rerum naturam aliter contingere potuiſſe, qua fronte negas, in Antonio (qui primi Principis ſanguinis prærogatiuam in tam celebri totius regni conuentu vnà cum ampliſſima regni adminiſtratione acceperat,) fuiſſe habilitatem ad dictam prærogatiuã præſumpti heredis conſequendam, quandocunque Valeſij principes ipſo viuo deceſſiſſent? cùm propter illam habilitatẽ vocaretur à Fran-
cis,

cis, vt reliqui principes omnes familiæ Borboniæ, Princeps ſanguinis, quo nomine deſignãtur ij omnes quos lex Regia Francica eadem habilitate decorauit, ad differentiam reliquorum omnium Principum, Italorum, Hiſpanorum, Germanorũ, Lotharingorum, &c. qui ad dictam prærogatiuam ſunt inhabiles, neque in æternum habilitari poſſunt, vt diuinè & francicè docet acutiſſimi vir ingenij & memoriæ feliciſsimæ Ioannes de Terra Rubea. Ad hanc igitur habilitatem conſequendam nihil interfuit Antonio, fuerint nec ne Principes in familia Valeſia: nam ſi viuentibus auguſtiſs. Valeſijs Principibus fuiſſet inhabilis ad dictã prærogatiuam, certè his ſublatis factus non fuiſſet habilis: ſicut vides morte ſereniſs. Ducis Andegauenſis Principes Italos, Hiſpanos, Germanos, Lotharingos factos non fuiſſe principes ſanguinis, id eſt, habiles ad dictam prærogatiuam. Habilitas hæc tota eſt à ſacroſancta lege illa in perpetuũ valitura, *donec ab obſcuris lucem ſol diuidet vmbris*: cui non alia de cauſa es infenſus, ô Zampine, quàm quòd à ſpe regię ſucceſſionis peregrinos omnes remoueat. quamuis enim ſub nomine illuſtriſs. Cardinalis Borbonij lateas, nemo tamen non videt quò tendas: nam ſi in vno legi vis fiat, lex eſſe deſinit: & tandem, lege regia ſublata, I.C. Recanatenſis ad Francicam coronam nõ aliter ac monachus quiuis ad pontificatum Romanum erit habilis. Sed depone, Zampine, ſpiritus regios, depo-

nite vos omnes Zampiniani. Habilitas hæc riuis regij ſanguinis, ceu vaſtiſſimo oceano, circumſcribitur. Ad hanc habilitatem non vi, non virtute, non dolo, non caſu aliquo, aut cuiuſquã morte licet perrumpere: quem mater habilem non edet, nullæ artes, fortuna nulla habilem reddet: quorum venæ, fibræ, & arteriæ in vtero materno ſanguine regio non fuerint formatæ & impletæ, fruſtrà per cædes & ſtrages mille cadauerum dextra ſiniſtra mille cadauerum ſanguine tingi affectant. Hauriant ſanguinis quantum ſitiunt, regium ſanguinem non hauriunt, non aſſumunt, non aſsimilant, non aſsimilantur.

INTERROGA illuſtriſſimum Cardinalem, Zampine: quære ab eo quanam hora inceperit eſſe princeps ſanguinis: ſed, ſi ſapis, caue ſciat, caue intelligat quid ſcripſeris. Cùm enim negas ſereniſſimum Antonium ius vllum informe aut habilitatem vllam habuiſſe ad prærogatiuam primi Principis, quam barbarè pro prerogatiua præſumpti heredis accipis, negas quoque pariter illuſtriſſimum Cardinalem fuiſſe Principem ſanguinis ante obitum ſereniſſimi Ducis Andegauenſis: & ſi ante obitum, certè & poſt obitum ius ſanguinis ei adimis: ſanguis enim nulla ſuperuenientia mutatur: non aſſumitur, non deponitur: mors Ducis, vita Ducis ſanguinem illuſtriſs. Cardinali non dedit, non abſtulit.

SED tempus eſt vt te docendi finem faciam.

Quid mutitas, Zampine? habilitatem hanc fuisse non-ens, antequam ad energiã, per mortẽ dicti Ducis perducta fuisset, & non-entis nullas esse qualitates? O bone Zãpine, priores errores grauiori errore excusas: tũ quia ex lege Aristotelica nõ licet μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, id est, in vnã scientiam principia alterius scientiæ inuehere, vt tu facis, dum ex Physicis aliquot axiomata in Iurisprudentiam transcribis: tum etiam quia planè nescis quid dicas, cùm de non-ente audes dicere. Crede mihi, Zampine, ni filum disputationis respicerem, facerem vt ipse agnosceres Zampinũ veriùs posse dici non-ens, quàm habilitatem illam quam habuerunt ad successionem regiam d. sereniss. Antonius & illustriss. Cardinalis etiam viuis augustissimis Principibus Valesiis. Sed ista ab instituto nostro videntur remotiora. Satis sit ἀπαιδευσίαν tuam tibi indicasse, vt in posterum ad scribẽdum non accedas, nisi ὅλως πεπαιδευμένος. Omitto, Zampine, quod dicis Antonium, antequam nasceretur, & post mortem, inhabilem fuisse: quasi inhabilitas, quæ est priuatio, subsistere potuerit antequam esset, aut postquam esse desiisset subiectum πεφυκὸς τῆς ἕξεως. Parco in multis Iurisconsulto: satis sit veritatem extra irritos tuos conatus posuisse: quod fiet commodè, si falso tuo elencho verum elenchum opponam ἀντιφατικῶς hoc modo:

Quicunque natus est in regia familia per legem regiam successionis regiæ capaci, ille augustiss.

Princ

Principibus Valesijs, & quibuscunque alijs viuis aut mortuis, quandiu viuit, est Princeps sanguinis, id est, habilis ad successionem regiam consequendam, etsi eam de facto non consequatur, eandemq; habilitatẽ in liberos trãsmittit.

Atqui serenißimus Antonius Rex Nauarræ fuit natus in regia familia per legem regiam successionis regiæ capaci.

Ergo serenißimus Antonius augustißimis Valesijs Principibus, & quibuscunque alijs, viuis, aut mortuis, quandiu vixit, fuit Princeps sanguinis, id est fuit habilis ad successionem regiam consequendam, etsi eam de facto nõ consecutus fuerit, eandemq; habilitatẽ in filiũ transmisit.

ADFER enstasim, si potes, Zampine: nam si Elenchum hunc legitima aliqua λύσει soluas, legem Francicam soluisti. Cæterùm, cùm in primæ tuæ instantiæ solutione fontes omnes tuorum errorum aperuerim, Zampine, reliqua persequi erit superfluum, cùm nihil nisi periculosissimam διανοίας ἀῤῥωςίαν indicent. Sed tamen, vt plenè tibi satisfiat, forma syllogistica ex animi tui sententia omnia tua argumenta vestiam, vt tu ipse videre possis quid ad thesin faciant.

SECVNDA ENSTASIS ZAMPINIANA.

l. item Prator. ff. de suis & legit.

Quotiescunque ille qui ad legitimam hereditatem vocari potuit, decedit, eo tempore quo certum est legitimam hereditatem ad eum non pertinere, tũ ad eos, qui cum eo, vel post eum, vocaban

cabantur, tota hereditas pertinet.

Atqui sereniſsimus Antonius, qui ad legitimam regni hereditatem vocari potuit, eo tempore deceſsit, quo certum erat legitimam regni hereditatem ad eum non pertinere.

Ergo, sereniſsimo Antonio excluſo, ad alium, qui poſt eum vocabatur, tota hereditas pertinet.

ΛΥΣΙΣ.

FATEOR, mi Zampine. non enim ad Antonium defunctum, ſed ad Henricum filium tota hereditas pertinebit. & mirus ſanè es artifex, qui ita diſputas, vt cogas aduerſarium ſtatim aſſentiri. non tantùm enim tuum argumentum nihil pro te facit, ſed etiã ea quæ infrà ſubiicis, cùm regi Nauarræ iura repræſentationis denegas, euertit. Agnoſcis enim regnum eſſe legitimam hereditatem, ac proinde non niſi ſuos ad eam vocari. Suos autem non tantùm ex ſua perſona, ſed etiam per repræſentationem ex iure perſonæ cuius locum ſubeunt, venire non ignoras, & alij antè me ius iſtud in hac quæſtione pleniſſimè tractarunt. Venio ad tertiam enſtaſim ex lege duodecim tabularum.

TERTIA ENSTASIS ZAMPINIANA.

Lex duodecim tabularum eum vocat ad hereditatem, qui moriente eo, de cuius bonis agitur, in rerum natura fuerit.

Atqui sereniſsimus Antonius, moriente eo, de cuius bonis agitur, nempe Duce Andeg. in re-

rum natura non fuit.

Ergo sereniß. Antonius non est is quem lex X II. *tabularum ad hereditatem vocat.*

ΛΥΣΙΣ.

SVBSCRIBO, mi Zampine, dum tu memineris quod ante monui, prærogatiuam primi Principis nõ esse de bonis defuncti Ducis Andegauensis. Sed quid legi x II. tabularum cum regno Franciæ? aut quis Antonium ad hereditatem vocatum fuisse vnquam dixit? At quid sibi velit Zampinus ex sequenti instantia audiamus, quæ est præcedentium omnium veluti corollarium.

QVARTA ΕΝΣΤΑΣΙΣ ZAMPINIANA.

Si in patre Antonio nec viuente nec mortuo esse potuit prærogatiua primi Principis, neque spes aut habilitas ad d. prærogatiuam, certè minus potuit à patre in filium Henricum transmitti.

Atqui prærogatiua primi Principis & præsumpti heredis, & illius prærogatiuæ spes in patre Antonio viuente vel mortuo esse non potuit.

Ergo prærogatiua primi Principis, vel spes prærogatiuæ non potuit à patre Antonio in filium transmitti.

ΛΥΣΙΣ.

TELVM tuum in te retorquetur Zampine.

Si in patre Antonio fuit spes, id est, habilitas ad prærogatiuam præsumpti heredis, certè illa spes,

seu

ſeu habilitas, in filium tranſmitti potuit.

Atqui in patre Antonio fuiſſe habilitatem certiſſimis, nulliq́; enſtaſi obnoxijs, argumentis ſuprà probatum eſt.

Ergo, Zampino teſte, potuit illa ſpes ſeu habilitas in filium Henricum tranſmitti.

EODEM modo licet retorquere quę de ſubrogato, de radice, de cauſato, de materiato, ex fæce ſcholaſtica non minus ſubtiliter quàm eleganter adfers, quę Iuſtinianeis relinquo examinanda.

EXPEDITIS igitur tuis probationibus directis, venio ad Apagogicas, quibus te, quęcunque in contrarium à clariſſimis Francicis I.C. allata ſunt, confutare magnificè iactitas, quorum tamẽ ſcripta eruditiſſima te nũquam legiſſe, aut, ſi legeris, nõ intellexiſſe, teſtatur frigidũ & Italo nomini probroſiſſimum tuum reſponſum. Illis igitur ſua argumenta defendenda relinquo: tuas autem confutationes non aliundè quàm à te ipſo petitis rationibus confutabo, vt intelligas te non minus cauendi, quàm petendi eſſe artificem egregium.

QVINTA ENSTASIS ZAMPINIANA per ἀπαγωγὴν εἰς ἀδυνατον.

Si præeminentiam illam, iusq́; illud, quod erat in familia Borbonia, in qua Antonius erat primogenitus, denique primogenituram familiæ Borboniæ virtute ſuitatis Antonius tráſmiſit in Henricum filium, qui caput eſt &

 colum

columen familiæ Borboniæ, ſequitur ergo quòd omnes principes familiæ Borboniæ eſſent in illa prærogatiua heredes.

Atqui falſum eſt conſequens: ergo & antecedens falſum eſt.

ΛΥΣΙΣ.

At quibus tandem rationibus probas, Zampine, connexum τοῦ μεταλαμβανομένου cum τῷ ἐξ ἀρχῆς? quomodo, inquam, efficies ex eiuſmodi hypotheſi ſequi abſurdum illud ad quod viros clariſſimos vis abducere? Reſponderet igitur vnico verbo Ariſtoteles, μὴ παρὰ τοῦτο συμβαίνειν τὸ ψεῦδος. Non licet cuiuis Abductionem rite conficere, id eſt, abſurdum aliquod impoſſibile cum propoſita hypotheſi arctiſſimè connectere: opus illud eſt non mediocris eruditionis. Fruſtra ad Abductionem ſe accingit, qui regulas inuẽtionis analyticæ, qui artificiũ ſyllogiſticum non probè nouit. Hæc verò te ignorare, ingenuè facis ſi agnoſcas: ſed ingenuè aut certè prudenter non facis, qui confutationem inſtituas armis iis deſtitutus, quæ ad cõfutationem ſunt neceſſaria. Ne te verò diutius agitem, ſatis erit indicaſſe te eſſe ex illo genere noxiorum, quæ cum veneno medicinam circumferunt: neque enim aliunde commodiùs, quàm ex ipſa tua apagoge ſolutionem petã. Recipe igitur toto corpore gladium, quem in alium ſtrinxeras.

Si præeminentiam illam, iúſque illud totum, quod erat in familia Borbonia, in qua Antonius

erat

erat primogenitus, denique primogenituram familiæ Borboniæ Antonius virtute ſuitatis tranſmiſit in Henricum filium, qui caput eſt & culmen familiæ Borboniæ, certè illuſtriſ. Cardinalis, & reliqui Principes dictæ familiæ non ſunt in illa præeminentia ſeu primogenitura heredes, neque enim plures poſſunt eſſe primogeniti.

Atqui verum eſt antecedens, verum ergo & conſequens.

NEC eſt quòd reclames, Zampine, te hac apagoge tantùm oſtendere voluiſſe prærogatiuam illam ex perſona Franciſci Ducis in familiam Borboniam non fuiſſe deuolutam. Dicis enim te *quæcunq; in contrarium ab alijs ſcripta & à te recitata ſunt confutando ita argumentari.* Illa autem recitas quæ in hanc abductionem conieci. Fatere igitur ἀπαιδευσίαν, Zampine: non enim ad omnes Principes familiæ Borboniæ, ſed in perſonam sereniſsimi Henrici deuolutam eſſe prærogatiuam ſcripſerunt magni illi viri, quibus te reſpõdere ſomnias: ideo ſcilicet quia in familia Borbonia (cuius ambitu regius ſanguis ad ſucceſsionem regiam habilis continetur) primum locum sereniſs. Henricus occupat. Quid ſi, vt te tuæ inſcitiæ pudeat magis ac magis, concedam aliquem perſona omiſſa ſcripſiſſe deuolutam eſſe prærogatiuam in familiam Borboniam? non tamen propterea abſurdum tuum efficies, cùm in ipſo limine tuæ tractationis tam prolixè nos docueris, etiam ſi vi-

rili ſexui lex deferret pariter prærogatiuæ ſucceſsionem, per quam peruenitur ad regnum, tamen quia regnum non ſimul omnibus virilis ſexus, ſed proximiori duntaxat defertur, etiam ſoli proximiori prærogatiuam deferri. Cur igitur ſolutionem tuam tibi non regeram his verbis? Etiamſi in familiam Borboniam deuoluta ſit prærogatiua, tamen quia ſoli proximiori, (id eſt, ei, quem ex legis regiæ præſcripto nemo in ſucceſſione regia antecedit,) prerogatiua defertur, ad ſolum primogeniti primogenitum prærogatiua deuoluta eſt, illuſtriſſimo Cardinali, & omnibus aliis Principibus excluſis. Sed quid percuſſum iacentemq; repeto? & cadauer ictibus diſſipo? reliqua igitur breuiter perſtringam, tantùm vt proſtratum Zampinum diſſimulata morte non nos deludere certò ſciatis vos omnes qui ſpectatis.

SEXTA ENSTASIS ZAMPINIANA per ἀπαγωγὴν εἰς ἀδυνατον.

Si ex perſona Franciſci Ducis Andeg. prærogatiua deuoluta eſt in familiam Borboniam, ergo prius ſuccedit familia Borbonia, deinde familiæ Borboniæ ſuccederet Henricus Nauarrus: quod eſt contra ſucceſsionis, præſertim legitimæ, naturam, & contra expreſſam conſuetudinem Franciæ.

ΛΥΣΙΣ.

DEVOLVTIO non fit ex perſona in familiam,

liam, ſed ex familia in familiam, & ex perſona in perſonam directè & immediatè: familia familiam, perſona perſonam apprehendit, vt apparet vel ex ipſa conſuetudine, quam recitas. Hoc Zampinum I.C. aut ignoraſſe, aut per malitiam diſſimulaſſe non oportuit.

SEPTIMA ENSTASIS.

In regnorum ſucceßionibus gradus prærogatiua cæteris omnibus eſt præponenda, ita vt maſculus deſcendens ex fœmina prærogatiua gradus præferatur maſculo ex fœmina deſcendenti, & auctoritate Agauirrus fœmina proximioris gradus remotioribus maſculis eſt præferenda.

ΛΥΣΙΣ.

HEV fortunatiſſime Zampine, quantā ſpem deglutis, cùm ratiunculis Recanatenſibus, Francis noſtris leuiſsimè perſuaſum fore ſperas prærogatiuam primi Principis per fœminas poſſe tranſmitti: ſed, crede mihi, falleris, non fallis: argutiolas enim tuas Franci adhibito quarto inſtrumento critico ἐκ τῶν ἀντικειμένων non aliter confringunt, *quàm ficta fragili vaſa franguntur luto.* ita enim argumentantur:

ex oppoſitis

Iura, quibus ſucceßio regni Franciæ cenſenda eſt, ius nullum fœminis aut per fœminas deſcēdentibus in ſucceßione prærogatiuæ primi Principis tribuunt.

Atqui iura à Zampino Recanatenſi I. C. allegata

ius

ius aliquod fœminis & per fœminas descēdentibus tribuunt in successione prærogatiua primi Principis.

Ergo iura à Zampino Recanatensi allegata non sunt iura quibus successio regni Franciæ censenda est: ac proinde quicquid ab Agauirre multos cumulans disserat, quicquid I. C. Recanatensis paralogiset, manet & manebit in æternum sarta & lacertis nostris tecta legis Regiæ Francicæ auctoritas.

FALSÒ igitur axiomati Zampiniano ἀντίφασιν veram opponamus: ita enim fiet diiudicatio falsi & veri.

ΑΝΤΙΦΑΣΙΣ.

In regni Francici successione gradus prærogatiua cæteris omnibus prærogatiuis non est præponenda: neque masculus descendens ex fœmina, prærogatiua gradus masculo ex fœmina descendenti, neque fœmina proximioris gradus remotioribus masculis est præferenda.

Hanc ἀντίφασιν disertis verbis legis regiæ fundatam, antiquissimis ordinum regni decretis confirmatam, bellis grauissimis aduersus potentissimas nationes exteras defensam, sanguine Francico sæculis omnibus consecratam, ratiunculis omnibus Zampinianis opposuisse sit satis. Nam κατὰ παντὸς φάναι ἢ ἀποφάναι ἀληθές. Et cùm negationis nostræ veritas tot validissimis testimoniis constet, affirmationis Zampinianæ falsitatem quis negabit? Quòd si ἔνστασιν expressam

de re qualibet affirmatio aut negatio vera est.

ſam adferri velit Zampinus, adfero ἔνςασιν ex prærogatiua virilis ſexus, quam gradus prærogatiuæ præferri fatetur & dolet Zampinus. Adfero etiam aliā enſtaſim ex primogenituræ prærogatiua, quæ proculdubio, vel ipſo Zampino teſte, gradus prærogatiuæ præfertur in regnorum ſucceſſionibus: cùm non omnes fratres ſimul ſuccedant, ſed ſolus duntaxat primogenitus: ac proinde falſum eſt in regnorum ſucceſſionibus gradus prærogatiuam cæteris omnibus prærogatiuis præferri. Cæterùm, ne aliquis, artium Zampinianarum ignarus, exiſtimet illum pro Regij ſanguinis dignitate bona fide pugnare, cùm gradus prærogatiuam vrget, audite, ô viri Franci, Zampini concluſionem.

Concludendum prærogatiuam ipſam in ipſum Cardinalem tranſlatam eſſe, non vt in vnum ex Borbonijs, ſed vt in vnum ex Capeuingijs: quódque vt familia Borbonia ius illud hodie habere exiſtimatur, quia Cardinalis Borbonius, qui in ipſa familia natus eſt, illud habet, ita ſi ipſe Cardinalis ex alia familia, Regia tamen, eſſet natus, non familia Borbonia, ſed familia illa, ex qua ortus eſſet Cardinalis, prærogatiuam illam habere diceretur.

His verbis, quamuis ſubobſcuris, Zampinum vniuerſam familiam Borboniam, id eſt, totum Regium ſanguinem, à regni ſucceſſione totis viribus repellere manifeſtum eſt: cùm illuſtriſs. Cardinalem non aliter ad eam admit-

tat, quàm ſi Borbonij nomẽ non tantùm Francis, ſed etiam populis & nationibus omnibus venerandum, deponat: quod ſi ſemel conſequatur Zampinus, nihil obſtat quominus eadẽ facilitate obtineat, Principes Hiſpanos, Sabaudos, Lotharingos, Ferrarienſes, eſſe Capeuingios, Chriſtianiſs. Regi Borboniis omnibus proximiores: quinetiam, nomine Regiæ familiæ ſublato, Lamias (ſi dijs placet) Carlouingias Capeuingijs antiquiores in ſuis repertoriis reperiet, quibus coronam Francicam deberi per Brocardicã ſuam Iuriſprudẽtiam pugnaciſſimè pugnabit. Nam niſi aliquid eiuſmodi mõſtri in ſinu alit, cur tot ſeculorum ſpatia vno momento decurrit? cur Borbonij nomẽ bonis omnibus chariſſimum, malis omnibus grauiſſimum ſupprimit? cur vetuſtiſſimæ & auguſtiſſimæ conſanguinitatis lineas & gradus, per quos ad tantum faſtigium aſcenditur, delere cupit? Cur alias familias per illuſtriſs. Cardinalem ad prærogatiuam regiæ ſucceſſionis vocari poſſe aſſerit? Quis non videt non alia fini prærogatiuam ſanguinis florentiſſimæ familiæ Borboniæ detrahi, & perſonæ vnius illuſtriſs. Cardinalis adſcribi, niſi vt ab hac perſona, ſuſcipiendæ ſubolis annos egreſſa, in aliam aut alias perſonas transferatur, quarum Zampinus ipſe non audet dicere nomen?

INTENTIONE igitur Zampiniana pleniſſimè cognita, in ſuſcepta analyſi pergamus, &, analyticis eius argumentis dirutis, quid in

Rheto

Rhetoricis valeat videamus.

OCTAVA ENSTASIS ZAMPINIANA AB EXEMPLO.

Carolus Magnus suo testamento successionẽ prærogatiua primi Principis, immò regni successionem, non Bernardo nepoti ex filio Pipino maiore natu, sed Ludouico filio natu minori detulit secundùm gradus prærogatiuam.

Ergo in successione regni Franciæ gradus prærogatiua lineæ seu familiæ prærogatiua & reliquis omnibus prærogatiuis est præferenda.

ΛΥΣΙΣ.

SCIENDVM est in primis, neq; Carolũ Magnũ neq; vllos alios Reges Francicos habuisse aut habere aut habituros vnquam esse ius testandi de regia successione, vt Francicè & verissimè asserit iuris Francici columen Ioannes de Terra Rubea, cui de iure Francico differenti plusquam mille Recanatẽsibus est credendum. Ita vt testamentum Caroli neque Imperatoria neque Pontificia auctoritate, neque ordinum Franciæ consensu validari aut confirmari potuerit, si à legis regię ordinatione vel tantillum discesserit. Sed vt ad facti speciem veniamus, Quæro à Zampino quibus tãdem instrumẽtis & testimoniis fretus tam districtè affirmare audeat Pipinum patrẽ Bernardi Ludouico Pio fuisse natu maiorem? quid enim si contra asseram, non tantùm non fuisse primogenitum, sed

etiam non fuiſſe legitimũ. Teſtemq; adducam Volaterranum, qui Caroli magni liberos enumerans ita ſcribit, *Liberos*, inquit, *ſuſcepit Cotrudem, Bertam, Gillam, fœminas: mares verò Ludouicum, Carolum, ac ex concubina Pipinum, quem Adrianus pontifex de ſacro fonte leuauit. Ex quibus tantùm ſuperſtes Ludouicus ac imperij ſucceſſor fuit, Bernardum verò ex Pipino nepotem Italiæ regem creauit.* Si tu Italus Italo Volaterrano non credis, adfero Francicum & antiquiſsimum Chronicon Martinianũ anno 1514. antiqua lingua Francica editum, cuius hæc ſunt verba, Pluſieurs femmes eut l'Empereur Charlemaigne, en elles engendra grande lignee de fils & filles, ainſi comme l'hiſtoire deuiſe en ſes faicts. La premiere de ſes femmes eut nom Hildegarde, noble femme, fut nee du lignage de Soiſſonge: deux hoirs maſles conceut enſemble la premiere fois, deſquels l'un commença auſſi toſt à mourir comme à naiſtre: L'autre en la voulenté de noſtre Seigneur print vie & bien formé fut baptizé, & par nom appellé Loys. Iudicate, ô Franci, quid de Zampini fide ſtatuere debeatis, qui antiquiſſima hiſtoriarum teſtimonia corrupta in ſuæ tractationis fronte inſigni diagrammate ob oculos veſtros ponere auſus ſit, vt exempli domeſtici auctoritate Recanatenſibus ſuis ſomniis fidem cõciliaret. Cùm igitur conſtet Ludouicum ex prima vxore primo partu natum fuiſſe, quis negabit Carolum atque ordines Regni ex legis Regiæ ſententia primogenituræ prærogatiuam iure merito in

primo

primogenitum contulisse? Quod etiam Sigonius, vir eruditissimus, testatur, cùm Carolum magnum, audientibus atq; approbātibus Francis omnibus, ita filium alloquentem inducit:

Accede (inquit) *Ludouice, & coronam capiti tuo, non dignitatis solùm ornamento, sed regnis etiam nostris & Reipublicæ Christianæ præsidio lætus impone.* Quibus verbis Ludouicum vniuersalem regnorum omnium heredem institui non negabit zampinus. Adferat igitur testem aliquem, quo probet Bernardum nepotē de primogenitura sibi adempta aliquo modo conquestum fuisse. Ego verò omnium historiarum consensu ostendam, Bernardum aui iudicium approbasse, neque inofficiosi querelā vnquam mouisse. Sed adferet fortasse Eginarthū zampinus, Pipinū ante Ludouicum nominantem, & ex ordine litteræ primogenituram indicari pugnabit. Istud verò argumentum ex ordine litteræ ad probandam genealogiam non esse idoneum, neque in Parlamentis Francicis, aut apud vllos Iudices recipi sciret Zampinus, si aliquid sciret, cùm sacræ ipsius scripturæ testimonio constet, ordinem natiuitatis in ordine litteræ non seruari. Scripsit enim Moses Genes.11. Theracum genuisse Abrahamum, Nachorem, & Haranem, cùm tamen Haranem fuisse primogenitum, & Abrahamum natu minimum inter omnes peritos Chronologos constet: Sic etiam idem Moses cap.5. narrat Noah, cùm esset annorum quin-

gentorum genuisse Sem, Cham, & Iaphet, cùm tamẽ Iaphet esset natu maximus, & Cham natu minimus. Liceret denique innumeris locis idem cõprobare: sed vt per ἀντιπαράστασιν concedam eiusmodi argumentum nonnullius esse pretij, non desunt tamen exceptiones legitimæ, quibus me tuear. Quid enim si dicam absenti Bernardo factam fuisse iniuriam, Ludouicum autem præsentem, bellica virtute, & victoria in Hispania parta clarum, contra ius prælatum? Absentem autem fuisse Bernardum testatur idem Sigonius, cuius hæc sunt verba: *Ludouicum filium ex Italia euocauit, atque ipsum præsentem consortem imperij: Bernardum verò nepotem absentem regem Italiæ declarauit.* Quid si volẽti Bernardo iniuriam factam non fuisse? Volentem autem & aui iudicium approbantem Bernardum iussu aui coronam regni Italici accepisse, & aui exemplo regnum administrasse, tum idem Sigonius, tum omnes omnium ætatũ historiæ testantur disertissimè.

QVID denique, si Bernardum primogenituræ prærogatiuam patri delatam retinuisse asseram? non enim negabit I. C. Recanatensis Italiam quondam rerum Dominam, ob imperij maiestatẽ inter reliqua orbis Christiani regna præeminentiam hanc habuisse, cùm imperatores Italiæ, Franciæ, Germaniæ, imperarent, vt primogenito filio dignitatis quadam prærogatiua assignaretur: quod cùm pluribus exemplis, tum ipsius Ludouici Pij, de quo agimus, confir

confirmatur, qui cùm Bernardi morte Italiæ regnum reliquis suis regnis adiunxisset, Italiam suo primogenito detulit, vt testatur Adonis Chronicon his verbis: *Ludouico*, inquit, *imperatori ex Hermengarde regina tres filij, quorum primogenitum Clotharium primò Cæsarem, deinde consortem imperij adscribit, cui Italiam ad regendum commisit, & Pipinum Aquitaniæ regem facit, Tertium Ludouicum Baiouarijs regem constituit.*

DENIQVE etsi testimonia deessent, vix tamen I.C. Recanatensis dicere audeat Franciam Italiæ fuisse præferendam, & primogenito seu præcipuam ac digniorem partem assignandam. Licet igitur ex hac ipsa historia non leue argumentum in Zampinum assumere, cùm appareat nepotem iudicio aui patrem in successione aui repræsentasse, iuraq; patri debita retinuisse: quam repræsentationem Eginarthus ipse non mediocriter commendat, cùm inquit, *In quibus rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cùm filio defuncto nepotē patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset.* Pietatis enim nomine Eginarthus in Carolum propensior obseruantiam legis Frācicæ decorat, quam Carolum Magnum tantum imperatorem nō violasse, sed testimonio suo & ordinum consensu, & pontificia auctoritate confirmare voluisse, ne Zampinus aut quiuis alius peregrinus in posterum de ea dubitaret, non mediocrem laudem meretur. His rationibus abundè Zampino satisfactum puto, etiamsi Pipinum primogenit

genitum fuiſſe conceſſero : quod tamen Zampino non probante, & duobus teſtibus contrarium aſſerentibus, negare aut ſaltem in dubium vocare licet. Ita vt exemplum iſtud in cauſa noſtra exemplum non ſit. Eſt enim exemplum ὅταν τῷ μέσῳ τὸ ἄκρον ὑπάρχον δειχθῇ διὰ τοῦ ὁμοίου τῷ τρίτῳ. Simile autem non eſſe, imo etiam aduerſus Zampinum pugnare, ſatis ſuperq; monſtratum eſt. Quæcunque igitur I. C. Recanatenſis de gradus prærogatiua hîc diſſerit, ſunt fruſtra, cùm iure repræſentationis nepotem in patris primogeniti locum ſucceſſiſſe, & Italiam primogenito debitam retinuiſſe Zampinus ipſe ſuo diagrammate nos docuerit. Repręſentationis verò æquitatem (quam Vlpianus ipſe naturalem æquitatem vocat) plurimis aliis fuſiſſimè tractatam demonſtrare inſtituti huius non eſt. Sed ſi Zampinus Francos iuriſconſultos conſulat, & Iuriſprudentiam, non in Brocardicis & ſcholaſticis ſenticetis, ſed in foro Pariſienſi, id eſt, in ſuprema iuris ac iuſtitiæ arce quærat, diſcet nihil in toto corpore iuris iuri repræſentationis, qua filius in patris locum ſuccedit, eſſe contrarium. Diſcet ius idem in feudis omnibus ſeruari, diſcet denique prærogatiuam primi Principis, id eſt primogenituram in familia Borbonia, cum proximitate in ſucceſſione Regia ſeu prærogatiua pręſumpti heredis regni morte ſereniſs. Ducis Andegauenſis fuiſſe confuſam, neque per rerum naturam fieri poſſe, vt Rex Nauarræ ſit primogenitus in familia Borbonia,

cùm medio maius extremum ineſſe oſtenditur per ſimile tertio. His verbis Ariſtoteles exemplum reuocat ad artificium Syllogiſticum lib. 2. priorum Analyt.

bonia, id eſt, ſit primus Princeps ſanguinis : illuſtriſſimus autem Card. habeat prærogatiuam præſumpti heredis regni, cùm nullo alio iure reliquos Principes Borbonios poſſit antecedere in dicta prærogatiua, quàm iure primogenituræ in familia Borbonia. Docere itaque debuit Iuriſconſultus Recanatenſis ſereniſs. Henricum regem Nauarræ morte ſereniſs. Ducis Andeg. deſiiſſe eſſe primogenitum in familia Borbonia, & primogenituram morte dicti Ducis in dictum illuſtriſs. Card. tranſlatam fuiſſe: nam ſi per repræſentationē rex Nauarræ manet primogenitus in familia Borbonia, eodē quoq; iure eſt primogenitus in ſucceſſione regia : neque vlla differentiæ cauſa à Zampino allata eſt, aut adferri vnquam poterit. Quod enim adfert ex Iuſtiniani Inſtitutionibus & Authenticis, ad propoſitum plane nihil facit, cùm ius repræſentationis à Iuſtiniano ad fratrum filios reſtrictum, lex regia ad omnes gradus familiæ Borboniæ extendat, ita vt ille qui centeſimo gradu eſſet in dicta familia, nihil minus iuris habeat in ſucceſſione regia, quod ad naturalem habilitatem & ius ſuo ordine ſuccedendi, quàm ſi quarto vel quinto gradu eſſet, vt ex his Tilij verbis ſatis apparet, cùm de ſolēnibus ſeſſionibus principum ſanguinis diſſerit. En quelque lieu, dit-il, que ſoyent mis les princes du ſang, l'aduantage leur demeure d'eſtre tenus, ou leur deſcente, capables de la couronne, iſſus de la plus noble & ancienne maiſon du monde: qui fait qu'ils honnorent

leur place, & n'ont beſoing qu'elle leur ſoit faict congnoiſtre. Abi igitur, Zampine, cum tuis allegationibus brocardicis. Nos enim Franci non Græcè, non Latinè, ſed Francicè ſcimus, ſereniſs. regem Nauarræ, Zampino & Zampinianis omnibus fruſtra reclamantibus, eſſe verum & vnicum regni ſucceſſorem, donec (quod omnes boni optant) Chriſtianiſſimo regi filius naſcatur. Et ſi vel guttulam aliquam Francici ſanguinis Zampinus haberet, idem ſciret, idem aſſereret, & in fronte inuictiſſimi, legumq; Francicarum corruptoribus tremendiſſimi Principis Henrici Nauarri genuinum characterem heredis regni Francici agnoſceret, ac veneraretur.

QVANTVM ad reliquas auctoritates hiſtoricas, quibus peregrinæ ſuæ orationi fidem quæſiuit I.C. Recanatenſis, facile erit ex ſuperioribus, quo iudicio collectæ fuerint, iudicare. Probant enim reges noſtros iure hereditario ſuccedere, filios regum regni heredes eſſe, filios patribus ſuccedere. Inde I. C. Recanatenſis nouus Logicus vult effici, prærogatiuam primi Principis Franciæ non primo Principi, id eſt primogenito in familia Borbonia, ſed proximo gradu eſſe deferendam. Vultq; ſibi credi nullam legis Francicæ vim eſſe, niſi quatenus cum ſuis ſomniationibus peregrinis conſentit: quaſi Franci maiores noſtri imperij Romani terrarumq; orbis Domini, ius condendæ legis patriæ non habuiſſent; quaſi vos, ô viri

viri Franci, conciues mei, fortiſsimorum heroum nepotes, ſatis roboris & fidelitatis ad patriam legem tuendam non haberetis, quaſi denique vnus I.C. Recanatenſis ad ſubuertendæ antiquiſsimæ & æquiſsimæ legis maieſtatem ſatis audaciæ & impudentiæ haberet.

VNVM dũtaxat adfert teſtimonium Zampinus nota aliqua dignum, ne incautos decipiat, cùm narrat Chariberto abſq; liberis defuncto Gontrannum ſibi fratri magis quàm Childeberto nepoti regnum deberi, nec ſe vllo modo fraternam hereditatem alteri ceſſurum ſcripſiſſe. Sed an propterea quod ſcripſit, ita iuris fuit? Quin potius cùm Childebertus nepos viribus & ætate inferior Gontranno patruo mãdauerit vt ſe de regno Chariberti, quod ſibi debebatur, remoueret: ſatis vel ex hoc loco apparet iam tum temporis legem Regiam obtinuiſſe, & ex eius præſcripto nepotem aduerſus patruum ius ſuum perſecutum fuiſſe. Notanda ſunt enim Aymonij verba, cùm dicit nepotem *mandaſſe*, patruum verò *ſcripſiſſe*. Eſt enim regis legitimi mandare. Gontrannus verò, etſi vi & armis cedere noluerit, mandandi tamẽ ius non habuit. Deniq; Gontrannus patruus neq; lege Regia à Zampino allegata, neque vllo alio iure ſe defendit, ſed tantùm regijs mandatis debitam obedientiam denegat: quam Gontranni rebellionem iuſto iudicio vltus eſt Dominus Deus omnipotens, iuris Francici defenſor tutiſsimus. Ita vt Gontrannus ſine liberis dece-

dens peccatorum confeſsione facta nepotem heredem reliquerit: non tamen ex teſtamento aut libero ſuo arbitrio, quantum ad regni ſuc-ceſsionem, ſed lege regia Francica, quæ regi-bus teſtamenti factionem in ſucceſſione regni adimit.

LICVISSET longè pleniori tractatione sereniſs. Regis Nauarræ in regia ſucceſſione iuſta perſequi. Sed cùm inſtituti mei fuerit dun-taxat zampini aſſertionibus falſis veras nega-tiones, itemq; negationibus falſis veras aſſer-tiones opponere, vt vi ἀντιφάσεως ex præceptis Analyticis verum à falſo diſcernatur, idq; clarè & perſpicuè, ni fallor, præſtitum ſit, veſtrum eſt, ô Franci, iudicare vtrum iure Francico vel zampiniano viuere velitis.

HABES, Zampine, reſponſum, ſi ordinis mei dignitatem reſpicis, nimis a-cre, ſi flagitij tui grauita-tem, nimis lene.

FINIS.

IN ZAMPINVM.

Zampini ſubtilis opus ſubtile, ſed in quo
Ius, verum, ratio, iudiciumq́ deeſt.
Firma hæc victuri ſunt fundamenta libelli:
Illaq́ ſi deſint, quod ſupereſt nihil eſt.
Corpora ſic Chimici quoties ſubtilia reddunt,
In fumũ aut nihilum ſæpe redacta vident.
Frãcia pro meritis nihil eſt quod reddat, opus cui
Dando tuum, fumum vel nihil obtuleris.

AD EVNDEM.

Cui Recanatenſis patria eſt, Zampine, recãta
Quod leuius venti flatibus edis opus.
Nec pudeat veniam detecto errore precari:
Hoc ſapiens: ſi non, hoc ſtolidus faceret.

A. D.